

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXIV. Quid homo in tristitia faciat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XXIV.

QUID HOMO IN TRISTITIA FACIAT.

ITEM cum pro alia oraret, hoc a Deo responsum accepit :
 I « Sæpius legat hunc versum : *Benedictus es, Adonai, in firmamento cœli, laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæcula ; qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et superlaudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula, alleluia.* Et si quando incidit menti ejus ut cogitet se non pertinere ad electos, faciat more hominis qui esset in valle tenebrosa : hic si libenter aspiceret solem, de valle in montem ascenderet, et sic tenebras evaderet. Sic et ipsa, cum involvitur tenebris tristitiæ, ascendat in montem spei, et oculis fidei aspiciat me, cœleste firmamentum, cui omnium electorum animæ velut stellæ sunt infixæ. Quæ stellæ, licet peccatorum nube et nebulis ignorantia obtenebrentur, in firmamento tamen suo, hoc est in mea divina claritate offusari non possunt ; quia electi, licet magnis quandoque involvantur peccatis, semper tamen eos in ea respicio charitate, in qua eos elegi, et in illa ad quam perventuri sunt claritatem. Unde bonum est homini, ut sæpe recogitet quam gratuita bonitate ipsum elegi, quam miris et occultis judiciis in peccatis existentem pro justo homine respexi, et quam amanter de ipso cogitans, omnia etiam mala ipsi in bonum commutavi, et benedicat me, æternam firmitatem electorum. In hoc autem verbo : *Benedicant te omnes Angeli et Sancti tui*, desideret omnes Angelos et Sanctos me secum pariter collaudare. »

Ex valle
tristitiæ ad
montem spei
anima
ascendat.